



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 23. Quæ in Bello Sacro secuta sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

re, sed Episcoporum, & his cessantibus
 Archiepiscopi aut Primatis.

Sæcul. XII.
 A.C. 1102.

§. XXIII.

Quæ in Bello Sacro secuta sint.

Belli Sacri Successus plurimos Christianos, anno primo Regni Balduini, Salutis nostræ millesimo centesimo primo, ad pulcherrimam militiam suscipiendam accendit. Ex Longobardia quinquaginta ferme virorum millia itineri se commiserunt, Ducibus Anselmo Archiepiscopo, Alberto Comite Blandrachino, Guiberto Comite Parmensi, & compluribus aliis Principibus, qui, non paucis militum supplementis ex Germania receptis, Hungaria, Bulgaria & Thracia peragrata, post Festum Paschæ, anno millesimo centesimo secundo Nicomediam pervenerunt. Eodem ferme tempore, nempe anno millesimo centesimo primo, ex Francia profectionem exorsi sunt, Guilielmus Dux Aquitanix, Hugo Magnus, Comes Veromanduorum, Regis Philippi frater, qui capta Antiochia a Cruciatibus discesserat, Stephanus Comes Carnotensis & Blesensis, probrum admissum, cum comilitones, in eadem civitate periclitantes, deseruisset, diluturus, Stephanus Comes Burgundiæ & plures alii Proceres, quos triginta ferme Cruciatorum millia sequebantur. Hi eandem
 viam

Abb. Ursp.
 1101.

Abb. Aquens.
 lib. VIII.

Vill. Tyr. X.
 c. 12.

Sæcul. XII. A.C. 1102. viam ac Itali tenentes, cum Constanti-
nopolim pervenissent, Raimundum Co-
mitem Tolosanum ibi habuerunt, auxilia
ab Alexio Imperatore flagitantem, qui-
bus auctus in Syriam, ubi Sedem figere
exoptabat, rediret. Eum ergo Franci
expeditionis suæ Ducem proclamarunt,
& trajecto S. Georgii freto, Niceam in-
trarunt.

Alexius vero Imperator, qui speciem
fidissimi amici præferens, Cruciatos blan-
dissime filios suos compellaverat, clam
nunciis ad Turcas missis, Christianorum
consilia prodidit, ac ut strenue in incau-
tos irruerent, concitavit. Cruciatu, im-
prudenter divisi, alii viam per steriles
montes & angustas fauces ingressi, ple-
rique perierunt, alii Tarsum in Cilicia
tandem emerferunt, ubi Hugo Magnus
decima octava Octobris, anno millesimo
centesimo secundo, præcoci fato functus
est, anno ætatis circiter quadragesimo
quinto. Ejus corpus in Ecclesia S. Pauli
sepultum. Tum Sacri milites, quotquot
supererant, Antiochiæ conjuncti sunt,
unde ingenti acti desiderio Sanctam ter-
ram conspiciendi, pars itinere terrestri,
pars maritimo, Jerosolymam contendunt.
Dum in via sunt, Tortosam urbem, in li-
tore maris positam, quæ vetus Antara-
dus Phœnicia fuisse creditur, expugna-
runt.

Inter

Inter hæc Balduinus, Cæsarea in Palæstina expugnata, Archiepiscopum & ipsum nomine Balduinum, illi civitati præfecit, qui in prima expeditione cum Godefrido Bullionio venerat. Deinde novis Cruciatibus militibus obviam processit, & Jerosolymam deduxit, ubi communi læticia Festum Paschæ anno millesimo centesimo tertio celebrarunt. Haud diu post Dux Aquitanix in Franciam rediit; qui vero permanserunt, Duce Balduino Rege iniqua pugna cum Infidelibus, numero longe superioribus, congressi maximam partem cæsi sunt, & præter alios Stephanus Comes Carnotensis, ac Stephanus Comes Burgundiæ. Rex Balduinus persequentium manus ægre effugit. Unde secunda hæc expeditio Rei Christianæ parum emolumenti attulit. Thimo Archiepiscopus Salisburgensis, a Mulsulmannis captus, cum ad abjurandam Religionem premeretur, constanter mortem subiit, vigesima octava Septembris, Martyrum Catalogo postea insertus.

Sæculum XI.
A.C. 1102.

c. 19.

vit. ap. Teng-
nag. p. 8.

§. XXIV.

Donatio Mathildis.

Sub finem ejusdem anni millesimi centesimi secundi Mathildis Comitissa Donationem, quam olim pro Ecclesia Romana scriperat, datis literis renovavit in hunc modum: *Tempore Domini Gregorii*

Sup. lib.

LXII. § 48.

ap Bar. an.

1102.

gorii